

ob nimiam libidinem è medio tollere, eique Cæsaris nomen cum Imperio abrogare decreuerat. Vbi verò Patris & fratris intellexit interitum, liberius se omnibus immerfit vitiis. Senatorios viros, ac Magistratus libidinum suorum ministeriis deturpans, vxores ducendo & reiiciendo nouem duxit, pulsus plerisque; prægnantibus: mimis, metricibus, pantomimis, cantoribus, atque lenonibus palatium impleuit, plurimumque illis detulit. Vbi audiuit Diocletianum ab exercitu in Perside Imperatorem electum, cum exercitu contra eum progressus, & multis tandem præliis apud Mergam in Dalmatia victus, occubuit.

In huius posteriore Numi parte adparent signa religionis, cum inscriptione: PIETAS AVG.

Refert Aurelius, Sabinum Iulianum inuasisse Imperium, & à Carino in campis Veronensibus occisum.



DIOCLETIANVS ex Dalmatia, vtroque parente obscuro & ignobili, patre scriba & liberto Amillini Senatoris, matre Dioclea natus, à pueritia militare cœpit, ac gregarius miles in Gallia augurium futuri Imperii accepit. Dehinc successu dignitatum interfecto Apro, ab exercitu Imperator creatus, profligato ac præliis victo Carino Augustus est appellatus, & à Senatu magno honore exceptus. Cùm autem in diuersis mundi partibus insignes excitarentur tumultus, pluresque vndique insurgerent Tyranni in Galliis, Britannia, Aegypto, atque Italia, Diocletianus, ceu vir prudens, animaduertens consorte Imperii opus esse, Maximianum legit, mox Galerium Maximinum, & Constantium Cæsares fecit. Tantæque fuit in gubern